





V, 82.

2.417a





CVRIAM  
REGNITIANAM  
NON. NVLLO. IVRE  
HERMVNDVRORVM  
COGNOMINANDAM  
DISSERIT. XXXI

---

VT  
SERENISSIMI. PRINCIPIS. AC. DOMINI  
DOMINI  
FRIDERICI. CHRISTIANI  
MARGGRAFII. BRANDENBVRGI. PRVSSIAE. DVCIS  
RELIQVA  
PATRIS. PATRIAE. CLEMENTISSIMI  
NOMINALIA

A. D. V. IDVS. MARTIAS. A. R. S. CIOIOCCCLXVII

H. L. Q. C

DEVM. SVBPLICES. ROGANTES. OBEANT

CVRIENSES

ROGATVM. IT

CVRIANI. RECTOR

PAVLLVS. DANIEL. LONGOLIVS

---

CVRIAE. REGNITIANAE

LITERIS. IOANNIS. ANDREAE. HETSCHELII

31/XXXI. XX





## PARS II.

HERMVNDVRORVM TERRA AN AD FLVMEN GIGNENDO  
SALE FECVNDVM?

Illud Cornelianum 1.) *flumen gignendo sale fecundum*, de quo inter HERMVNDVROS Cattosque certatum magno proelio, adeo difficile visum fuit inuentu, vt audierit 2.) lapis, quo offendatur, immo 3.) nodus Gordius, plerique autem omnes 4.) diuertant in monstrando *flumine gignendo sale fecundo*. Facturusne ergo operae precium *illud* monstraturus? Quod prius quam succeserit, erit ostendendum, *fluminum*, quae nominarunt nominarentue plane non *salis* quid exlerere.

## N. I.

## AN SALE FECVNDVM AD FLVMEN.

Cum satis haberent, illud *flumen gignendo sale fecundum* pro *salinis* habere, quae ad aliquod flumen propullulant; non poterunt non fere quisque ex animi lubidine *flumen* creare, quod pro illo venditarent. Qui sibi videbantur tutiori via incedere, *Salam* aliquem eligebant. Nec tamen desunt, qui *alium atque alium fluvium* nominant. Hoc exlequamur duobus pensis.

## Pensum

- 1.) Annal. Lib. XIII. Cap. LVII. n. 7. Huius immemör fuerit Ludewigius in Aur. Bull. Caroli III. Tit. VIII. §. I. lit. u) scribens: „Endlich die Hermunduri und Catti in Teutschland um die Gallische Magdeburgische Salzquellen Kriege geführt, welchen Locum Taciti de M. G. c. 3. Kirchmeier in einer eigenen Disertation erkläret.“ Nam in Taciti libello de Mor. Germ. ne vlla quidem mentio illius proelii fit, neque Kirchmaierus praeter suum Commentarium in Tacitum de Germania quid ad hanc contulit, quam Disertationem, cuius infra n. 4. index est, ad illa ex eiusdem Annalibus prolata. Et quid volunt ista Ludewigiana *Gallische? Immo Hallische.*
- 2.) Aiermanno in Introduct. in Hist. Hasiae Sect. I. Cap. III. §. II. in nota \*) p. 50.
- 3.) Isti historiae et geographiae patriae Oedipo dixerim an Alexandro Schoettgenio Disf. de Hermunduris §. VI. in Spicilegio Diplomatico Hist. Saxon. Super. Part. I. N. I. p. 9.
- 4.) Quos in vnum coegit Kirchmaierus paullo ante nominatus de Bello Prochioque de Salinis Catts inter et Hermunduros.



Pensum I.  
AN AD SALAM?

Index dictorum.

§. I. An ad *Salam*?  
§. II. *Lotharingiae*?  
§. III. *Zutphaniae*?  
§. IIII. *Salisburgensem*?  
§. V. *Carniolae*?

§. VI. *Hildesianum*?  
§. VII. *Wetteraviae*?  
§. VIII. *Franconiae*?  
§. VIII. *Thuringiae*?

§. I.

Videtur autem quibusdam 1.) regula omni exceptione maior, quemcumque annem, cui *Salae* nomen, a *salinis* id nactum esse. *Salinas* vero iam olim dictas fuisse a *sale*, 2.) qui inde emergit, quis est, qui nescit? 3.) Hinc plerisque interpretum *fluminis* istius *Cornelianus* 4.) *gignendo sale fecundi* arrisit *Salae* alicuius flumen. 5.) Eius nominis per Germaniam plura. 6.) Quot quot hic hac tenus innotuerunt, tot propius intueamur, ne quod praeterisse consulto videamur. Non est autem, quod eius terrae fines transfiliamus, ac vel ex Africa 7.) *Salam*, cui oppidum cognomine erat impositum

T r 2

1.) Iunkero in *Introductio in Geograph. Med. Aevi Part. II. Cap. II. Sect. I. p. 136.* Eccardo de *Ver. Salzburgo et Palatio Salz* §. III. p. 9. item de *Reb. Franc. Orient. Lib. I. §. X. p. 7.* Ludewigio in *Reliq. MSCT. Tom. X. praefatione praefixa* §. XXVIII. subiuncta nota (\*\*\*) extr. p. 65. Falkensteinio in *Anal. Thuring. Nordg. Part. VIII. N. I. §. I. p. 88.* in calce, atque his cunctis citius Wendelino in *Glossario ex indicio istius Ludewigii de Reb. Halens. Cap. I. §. II.*

2.) Id quod docuerit vel Caesar de *Bell. Ciu. Lib. II. Cap. XXXVII. n. 5.* ne ex *Linii Hist. Lib. XXVIII. Cap. XXXVII. n. 4.* reducam *Linium*, cui ex *salaria* annona commentum vestigal peperit *Salinatoris* cognomen. Alia dederit Iungius de *Iure Salinarum Cap. I. §. I.*

3.) Nescisse autem vel saltem non attendisse videntur, qui Ienensem acade-

miam aequae ac Hallensem *Salinam* scribunt cantantque. Quis enim Ienae monstrauerit *Salinas* ut Halae? A *Sala* autem qui petierit, *Salanam* dixerit.

4.) Supra indicati.

5.) Quorum dux iam Melanthon de *Vocab. Region. et Gent. in Tacito*, quod *Tom. I. Scharadianae Collectioni insertum.*

6.) In vna quasi tabula depicta a Beierro in *Geograph. Ienens. Cap. XXVI. p. 483. seqq.* Knauthio ad *Schneideri Saxon. p. 244.* Iunkero in *Introductio in Geograph. Med. Aevi Part. II. Cap. II. Sect. I. p. 135. seqq.* Eccardo de *Reb. Franc. Orient. Lib. I. §. X. p. 7.* Falkensteinio in *Anal. Thuring. Nordg. Spicileg. VIII. N. I. §. II. p. 88. seqq.*

7.) Deducti a Plinio in *Hist. Nat. Lib. V. Cap. I. et Ptolemaeo Γεωγραφ. Τόπων. Lib. III. Cap. I.*



in *Salae* adhuc superstes, 8.) vel *Salam*, 9.) *Sallam*, 10.) *Sallinae* 11.) ex Pannonia 12.) petamus.

## §. II.

De *sale*, 1.) quod nostratum *Salz*, nomen putatur 2.) habere 3.) amnis ex lacu Lindrensi Decem Pagis vicino natus atque Diuoduri, quae Mettis est, in Mosellam se condens, 4.) qui antiquioribus 5.) *Salia* 6.) siue 7.) *Sallia*, vnde recentissimorum *Seille*, 8.) nostratum 9.) *Sala*. Is Rhenum ab ortu sequentibus ad sinistram fluit, quam regionem *Catti* et HERMVMDVRI numquam tenuerunt, quin potius ad istius fluminis dextram coluerint. *Salia* igitur nullo modo potest esse *flumen gignendo sale fecundum*, quippe quod vtrique genti sit *conterminum*, 10.)

## §. III.

Consimilis ratio est *Salae*, 1.) vnde *I* litera praeposita 2.) factum 3.) *Isala*, vulgi *Isel Iselue*. Sed nec inter omnes 4.) conuenit,

8.) Teste vel ipso Cellario in Notit. Orb. Antiq. Lib. III. Cap. VII. §. XXII.

9.) Ptolemaei Lib. II. Cap. XV.

10.) Geographi Rauennatis Lib. III. Cap. XVIII.

11.) Antonini Itiner. edente Wesfelingio p. 262.

12.) Ex iudicio Chuerii in Vindel. et Noric. Cap. V. item Suritae et Wesfelingii ad Antonin. Itiner.

§. II. 1.) Vt cecinit Fortunatus Lib. VII. Carm. III.

2.) Inter alios Iunkerum in Introd. in Geogr. Med. Aeuu Part. II. Cap. II. Sect. I. p. 138.

3.) Ex iudicio Cellarii in Notit. Orb. Antiq. Lib. II. Cap. III. §. XXVIII.

4.) Ex eiusdem descriptione, qualis etiam auctoris Lexici Hydrographici omnium Germaniae Fluminum p. 546. eiusdemque Antiquarii Mosellae p. 591.

5.) Isti antea n. I. excitato Fortunato Lib. III. Carm. XII.

6.) Hic legis celebratissimae *Salicae*

incunabula esse, sibi persuasit Chisletius in Vindic. Hispan. Cap. V. p. 65. quam opinionem nullis fultam rationibus facile corruere, scribit Consultisf. Wiefand de Orig. et Natur. Leg. Salic. §. III.

7.) Vt quoque scripsit Cellarius.

8.) Apud Cellarium, Iunkerum, Hydrographum, Antiquarium antea nominatos.

9.) Quem ad modum quoque adpellatur Iunkero.

10.) Teste Tacito saepius nominato.

§. III. 1.) Vel iam a Iunkerum in Introd. in Geogr. Med. Aeuu Part. II. Cap. II. Sect. I. p. 138. atque Beiero in Geograph. Ienens. Cap. XXVI. p. 453. in numerum huius nominis fluminum relati.

2.) Quid vero in nominibus, quae Grammaticorum filiis propria cognominantur, frequentius, quam vt nunc crederent nunc diminuerentur in primis in capite?

3.) Obseruante Chuerio in German. Antiq. Lib. III. Cap. XVII.



uenit, 5.) quas terras riget *Σδλας*. 6.) Est, 7.) qui de illo, quo potissimum 8.) Zutphania Belgii foederati perfunditur, interpretatur. 9.) Is sane *Cattis* atque HERMVNDVRIS numquam fuit *conterminus*. 10.)

## §. III.

Est et *Sala* 1.) in Salisburgensibus, qui paullo infra regionis caput cum *Salza* suas miscet aquas. 2.) Sed et is non dum *conterminus Cattis* HERMVNDVRISque.

## §. V.

Idem valet de *Sala* mediae Carniolae, qui Auersbergam inter et *Iggam* oritur, ac *Ischka* nominatur longius prouectus. 1.)

## §. VI.

Propior fuit *Sala* 1.) ad radicem montis *Hilfi* in tractu *Calenbergensi*, qui *Hannouerano Principi* paret, scaturiens et prope *Elzam Hildesianam* in *Leinam* effluens. 2.) Eum si *Catti* potuissent contingere,

T t 3

tingere,

4.) Nam *Isfelam* vniquam *Salam* dictum non adparuit Leibnitio de Orig. Francor. §. XXIII.

5.) Alios enim de *Sala* *Franconiae* §. VIII, alios de *Thuringiae* §. VIII. adparebit intelligere.

6.) *Strabonis Γεωγραφ. Lib. VII. p. 447.*

7.) *Pontanus* in *Chorograph. Disceptat. de Rheno* Diuort. XXXI. quem ideo carpit *Cluuerius* Lib. III. Cap. XXXXVIII.

8.) *Wesphaliam* quoque scribit *Beierus* n. I. nominatus, qui si in mente habuerit fluuiolum istum *Isalam* siue *Isfelam*, qui in terra *Cluuenfi* oritur, cumque isto *Rheni* brachio dextro coniungitur, habebit, qui conspirat, *Iunkerum* p. 132. atque *Althamerus* in *Tac. German. Cap. XXVIII. Westphaliae amnem* interpretatur illum *Strabonis Salam*.

9.) Ex isto sane *Salios* petierunt *Cluuerius* ille et *Merianus* in *Topograph. Francon. Adpend. p. 4.* adpellati ab *Piesfingero* ad *Vitriarii Insh. I. R. Lib. I.*

*Tit. XVI. §. XI. p. 361. n. 21.* eodemque leges *Salicas* deducendum sententiae haud poenitet *Hachenbergium* in *German. Mcd. Disf. III. §. III.* cui tamen non subscripserint *Mensio Altingius* in *Notit. Batau. et Frif. Antiq. p. 115.* *Leibnitius* de *Orig. Francor. §. XXIII.* et *Wiefand* n. 6. ad superiorem §. laudatus.

10.) Quale fuit illud flumen *Tacito* *Annal. Lib. XIII. Cap. LVII. n. 7.*

§. III. 1.) Vel a *Iunkero* p. 138. nominato.

2.) Quarum decursum quem nosse iuuat, praebet *D. Lexic. Hydrograph. omnium German. Flum. p. 505.*

§. V. 1.) Cuius causa euoluas *Valuaforem* de *Carniola* Lib. II. p. 239. quem ad verbum descripsit modo nominati *Lexici* compilator.

§. VI. 1.) Cuius iam meminit *Eccardus* de *Reb. Franc. Orient. Lib. I. §. X. p. 7.*

2.) Quo aluco fluat, docet *Schneiderus* in *Saxonia* p. 243. feqq. qui latuit *Falkensteinium*, quem si nouisset, in



tingere, HERMVNDVRI tamen numquam eo vsque se extenderrunt. Qui autem contenderint de alieno, quod longius remoti tueri nequiverint? Hic ergo Corneliano 3.) loco locus plane nullus. 4.)

## §. VII.

Ita res se habet cum *Sala*, 1.) qui hodie *Salz*, 2.) perperam *Salz* 3.) adpellatur, ex montium iugo, quod Vogelsberg dicitur, orto prope Salmunsteram Kinzigium augente procul Hanouia, 4.) a qua non cognominandus. 5.) Ad hunc 6.) iam Burgundiorum et Alemannorum acuo fuisse creduntur 7.) *salinae*, quarum causa isti inter se iurgabant. 8.) Hae si quondam *Cattorum* fuerint, 9.) ab HERMVNDVRIS tamen spatio satis magno 10.) discretae. II.)

## §. VIII.

Anal. Thuring. Nordgau. Spicileg. VIII. N. I. §. II. sub (b) p. 89. certius de eo pronunciauerit, qui prouocans ad Laufensteinii Hist. Eccl. et Reformat. Hildesf. nominat Part. III. p. 82. et 83. vbi tamen *Salae* nullam vestigium, sed Part. I. p. 7. 3.) In principio huius disertationis descripto.

4.) In quo consensio cum Falkensteinio §. III. p. 93.

§. VII. I.) Cluuerii in Antiq. Germ. Lib. III. Cap. III. Eccardi Comment. de Reb. Franc. Orient. Lib. I. §. X. p. 7. Falkensteinii in Anal. Thuring. Nordgau. Spicileg. VIII. N. I. §. II. p. 88. sub (a).

2.) Iisdem Cluuerio et Eccardo auctoribus.

3.) Quod est videre in mappa Zolmanniana de terra Hanouienli.

4.) Quam tamen abluere, scripsit Cluuerius *Salam* cum *Kinzigio* confundens.

5.) Vt quidem cognominarunt Eccardus et Falkensteinius n. I. nominati.

6.) Ni potius hae *salinae* in *Sueuia* quaerendae, utpote quae *Halae Sueuorum* originem praebuerint, ut coniecit Ludewigius de Reb. Halensf. Cap. I. §. VII.

7.) Cluuerio eidem. Huic suffraga-

tur Valefius ad Ammianum Marcellinum Cluuerii Cap. V. nominans, quod est III. in eo, quod *Sala* flumen designetur.

8.) Quod memoriae prodidit Ammianus Marcellinus Rer. Gest. Lib. XXVIII. Cap. V.

9.) Quas fuisse Valefius n. 7. citatus adfirmat, cui *Salam* a Tacito, si diis placet, Annal. Lib. XIII. Cap. LVII. n. 7. „designatum a Marcellino intelligi certum est, postquam Burgundiones vel „Burgundii *Chattorum*, Alamanni HERMVNDVRORVM sedes occupauerunt, „Esse autem, qui Franconiae nostrae cum tribuunt, est videre n. 2. ad insequentem §.

10.) Aequae ac istud *salinarium Aduorum* Ioannis Sarisberienfis Epist. CLXXXVI. quod ad *salinas*, de quibus isti iurgabant, traxit Lindenbrogius, quem contra Valefius ad Ammianum adferit, „non „dum his temporibus, quorum historiam „prosequitur Marcellinus, Burgundios „Sequanorum et Aduorum prouinciam occupasse, „

II.) Vnde nec de his Taciti locum in fronte huius Partis collocati exponi posse iam pronunciauit Eccardus et post eum Falkensteinius §. III. p. 93.



## §. VIII.

Notius olim 1.) ni notissimum 2.) *Salavum* flumen est illud, 3) quod ad vicum cognominem ortum Koenigshouam, arcem Salzburgum, Kisingam et Hamelburgum praeterfluit, et ad Gemundam influit in Moenum. 4.) Hinc audit 5.) *Franconicus*, vt ne confundatur cum *Thuringico* 6.) et aliis. 7.) Illum 8.) venditant 9.) pro

1.) Iunkerio in Introd. in Geograph. Med. Aeu. Part. II. Cap. II. Sect. I. p. 136. et Falkensteinio in Anal. Thuring. Nordgau. Spicileg. VIII. N. I. §. II. p. 93.

2.) Scilicet si *Σάλας* Strabonis, cuius mentio iam supra §. III. fuit facta. Pro eo enim habuit Valefius in Notit. Gall. p. 496. contra quem in omnia alia discescit Cellarius in Notit. Orb. Antiq. Lib. II. Cap. V. §. VIII. Neque tamen pro alio habuerunt Schurzfleischius in Hist. Burgund. Cap. I. §. V. sub f p. 12. Spenerus in Notit. German. Antiq. Lib. II. Cap. II. §. VI. sub (o) p. 69. atque Lib. V. Cap. V. §. VIII. p. 98. Eccardus de Vet. Salzburg. et Palat. Salz §. II. p. 6. feqq.

3.) Quod *Isalam* quoque dici, nollem in Schilteri Thef. Antiquitat. Teuton. Tom. III. p. 697. a Frikio edito sine obelo remansisse.

4.) Quod pluribus docent Schopperus in Chorograph. Teuton. Part. I. Cap. V. p. 74. Beierus in Geograph. Ienens. Cap. XXVI. p. 754. Iunkerus p. 136. feqq. Melisantes de Arc. Mont. N. XXXV. p. 317. in primis auctor Hydrograph. German. v. *Saale* p. 503. feqq. et Antiquarii in Moeno p. 269. feqq. ne reliquos Geographos adpellem. Nec dissentiant, quos statim producimus.

5.) Cellario Lib. II. Cap. V. §. VIII. Lebnitio de Orig. Francor. §. XXIII. Eccardo de Vet. Salzburg. et Palat. Salz §. II. feq. p. 6. et 9. feq. de Reb. Franc.

Orient. Lib. I. §. X. p. 7. et in Orig. German. Lib. II. §. XXXV. Falkensteinio in Anal. Thuring. Nordgau. Spicileg. VIII. N. I. §. II. p. 88. Harenbergio in Hist. Eccl. Gandershem. Disf. III. §. III. p. 677. D. in Lex. Hydrograph. German. p. 498. Dreyhauptius in Descript. Salan. Circul. Part. Spec. Sect. I. Cap. VIII. §. I. p. 626. Geograph. Nou. Itiner. Lib. VI. Cap. I. §. III. p. 679. et Lib. VII. Cap. I. §. III. p. 20. Buschingio in Geograph. Part. III. Vol. II. p. 2556.

6.) De quo §. proximo.

7.) Ex §. II. vsque ad praesentem.

8.) Facem praeferebat Conringio in Disf. de Sale, Nitro et Alumine Th. XIII. *Multi*, inquit, *verba Taciti de fonte quodam falso accipiunt, atque illo quidem, qui Halis Saxonici celebratur. Sed illos erroris facile coarguit, quod Catti tum vixerint trans Thuringicam siluam, quae Baccinis Caesari de Bell. Gall. Lib. VI. Cap. X. n. 5. est, h. e. in Franconia. Idem vero etiam sensisse Schurzfleischium n. 2. adlegatum, existimant Abelius in Antiq. Teuton. Tom. I. Cap. II. §. XXIII. p. 428. et Cel. Reinhardus in Progr. anno 1760. edito. Audiamus Schurzfleischium. Postquam demonstauerat, „Burgundionum „controuersias de salis fontibus cum Ale- „mannis contigisse in Francia orientali „transhenana apud Salam amnem, qui „in Moenum se exonerat, veniebat ei „in mentem recordari certaminis, quod „multis abhinc saeculis HERMUNDVRI,*



pro *flumine gignendo sale fecundo*, quia *Cattis* HERMVNDVRISque conterminus 10.) atque ex *salinis* ei adiacentibus nobilis. 11.)

§. VIII.

Nobilissimus autem omnium *Salarum* iam quidem 1.) est vulgo sic dictus *Thuringicus*, 2.) quia *Thuringiae* partem adluit, aequae ac *Vogtlandiam* siue priscorum S. R. I. Aduocatorum terram, vnde *Vogtlandicus*, 3.) ni potius *Fichtelbergicus*, 4.) quippe qui sub radicibus

„quando adhuc *Misniam* incolebant cum „*Cattis*, quorum sedes ad *Thuringiae* „fines vsque pertinebant, eadem ex salis „causa conseruerunt.„ Vt enim fit, ob- „ueniente aliqua re, quae simile quid ha- „bet cum alia, hanc nobis in mentem ve- „nire; ita Schurzfleischius salinas, de „quibus Burgundiones et Alemanni iur- „gauerant, anquirens recordatus est cer- „taminis istius *Cattorum* et HERMVNDV- „RORVM, non autem vt illud in eodem „loco et de iisdem salinis constitueret. „Quid enim ad *Misniam*, quam HERMVN- „DVROS tum incoluisse scribit, *Franconia*, „si de ea illi sermo? Nec huius *Sala* ad- „luit *Misniam* neque *Thuringiam*.

9.) Quorum primipilus Eccardus de „Ver. Salzburg. et Palatio Salz §. III. p. 9. „seq. Neque sententiam suam mutasse, „liquido adparet ex eius Comment. de „Reb. Franc. Orient. Lib. I. §. X. p. 7. „vbi cum scripserat, de *Hanouiensi Sala* „Tacitum exponi non posse, subiungit: „Mihī ergo *Sala Franconiae* amnis hic in- „dicatus videtur, „ paucis tamen interie- „ctis redit ad priorem pergens: „Aft „ego - - percepi, hic *Salam Hanouien- „sem* indicari, „ cui eum alueum tribuit, „qui est *Franconico*. His lectorem in am- „biguo esse relinquitur, ni Lib. XXVIII „§. CLXXXVIII p. 180. Tomi II. denuo „scripsisset: „Nec enim *stuuus sale foecun- „dus*, ob quem HERMVNDVRI et *Catti* „collisi - - a *Sala Franconiae* diuersus

fuit.„ Ad hunc modum diseruit quo- „que in Orig. German. Lib. II. §. XXXV. „p. 341. Iam confusionem non sensit „Falkensteinius illa in Franc. Orient. Lib. I. „§. X. p. 7. prolata excitans in Anal. „Thuring. Nordgau. Spicileg. VIII. N. I. „§. II. sub (g) p. 91. seq. ceterum adsen- „tens Eccardianis istis, vt adsensit Ha- „renbergius in Hist. Eccles. Gandershem. „Disf. III. §. III. p. 677. Id non impro- „bavit Sattlerus in Hist. Wurtemberg. Vniu. „Sect. I. §. XXXVIII. p. 54. Nec displicuit iam Abelio n. 7. notato, quod ex „priori Eccardiano libello hausisse videtur, „quam quam cum haud nominet.

10.) Cuius auctor est idem Eccardus, „quem sequuntur, qui de eius secta.

11.) Quod monstrant supra n. 3. no- „minati.

§. VIII. 1.) An enim Strabonis Lib. VII „p. 447. *Σάλας*, dissentiant supra ad „§. VIII. n. 2. nominati. De praesenti „illum interpretatur Cellarius ibi indica- „tus, cui subscribit plane Iunkerus in „Introd. in Geogr. Med. Aeu. Part. II. „Cap. II. Sect. II. p. 136. et iam olim in- „terpretatus est Zeillerus in Topogr. Saxon. „Infer. p. 115.

2.) Ab iis, quos §. VIII. n. 5. nomi- „naui.

3.) Cel. Buschingio in Geograph. „Part. III. Tom. II. p. 2484. atque iam „ante D. in Lex. Hydrograph. German. „p. 498.



dicibus montis, cui nomen est *Fichtelberg*, 5.) oritur, et, postquam Curiam nostram, Ienam, Numburgum, Leucopetram, Merséburgum, Halam, Calbam, alia perfudit, ad Barbium in Albim effunditur. 6.) Illa *Hala* autem significet 7.) *salem*; nec tamen quisquam 8.) docuerit, salinas iuxta *Salam* ex ipso flumine maxime provenisse tum, cum *inter HERMVNDVROS* Cattosque *certatum magno proelio, dum flumen gignendo sale fecundum et conterminum vi traherant*. 9.) Mutauerintne se *sal* fluminis in aquam dulcem? Qui sic? An in eo errauerit 10.) testis? Sane ad illas *salinas* ad *Salam Halae* adhuc haustas inclinat maior interpretum pars. 11.)

V u

Sed

4.) Iisdem.

5.) De quo iam olim Cap. III, Sect. I. Interf. I. Part. I. §. III.

6.) Quod si pluribus nosse velis, adeas Grosium in Descript. Quatuor Fluminum *Fichtelbergi*, cuius verba e verbis transcripserunt Pachelbelius de *Fichtelberg*. p. 35. seqq. et auctor saepe adductus Lexici Hydrograph. German. p. 498. seqq. item Kifewetterum in Descriptione *Salae*, Groitzschium in eadem cum Schamelii Commentario, Beierum in Geogr. Ien. Cap. XXVIII. p. 459. seqq. Vulpium Megalurg. Martisb. Cap. II. p. 6. seq. Planerum in Hist. Varisc. Part. L. §. X. p. 42. seq. Frankium in Hist. Mansfeld. Lib. I. Cap. II. §. X. Sect. I. p. 13. Junkerum in Introd. in Geograph. Med. Aevi Part. II. Cap. II. Sect. I. p. 136. Spenerum in Notit. German. Antiq. Lib. II. Cap. II. §. XI. sub (v) p. 77. et Lib. V. Cap. VI. §. III. sub (x) p. 124. Geographiam Recent. Itiner. Lib. VII. Cap. I. §. III. p. 20. seqq. Glafcium quoque, qui in Nucl. Hist. Dom. Saxon. Lib. III. Cap. III. §. III. de *Sala* egit, sed parum accurate, ut eum in meae *Farraginis* Part. V. notarem.

7.) Ut edixerunt Althamerus ad Tac.

Germ. Cap. XXX. Barthius Aduersar. Lib. III. Cap. VI. Leibnitiuss in Gl. Cclt. v. *Halen* in eius Collect. Etymol. Part. I. p. 127. Schilterus in Gl. sui Thes. Antiq. Teuton. Tom. III. p. 419. Wachterus in Gl. German. Tom. I. p. 642. Ludewigius de Reb. Halens. Cap. I. §. III. et in Reliq. MSCT. Tom. X. Praefat. §. XXVIII. p. 65. extr. Heumannus de Salmannis §. III. in eius Opusculis p. 291. Conferatur Kirchmaierus de Bello Proelioque de *Salinis* Cattos inter et *Hermunduros* suscepto olim §. II.

8.) Nisi Spenerus, cui in Notit. German. Antiq. Lib. II. Cap. II. §. XI. sub (v) p. 77. ira videbatur.

9.) Ut scribit saepius euocatus Corneliuss Annal. Lib. XIII. Cap. LVII. n. 7.

10.) Cuius eum insinulat Kirchmaierus de Bello Proelioque de *Salinis* Cattos inter et *Hermunduros* suscepto olim §. VIII. extr.

11.) Althamerus ad Taciti German. Cap. XXX. Beutherus ad eiusdem Cap. XXXXI. Willichius ad idem et XXXVI. Cap. Birkeimerus in German. Explic. in Schardii *Rer. Germ. Script.* Tom. I. p. 86. Agricola Lib. I. de iis, quae effluunt ex terra. Albinus in Chron. Terr. Misn.





## Sed in tot Salis

summa placidum caput extulit vnda  
 noster prospiciens FRIDERICVM CHRISTIANVM fontis  
 sui tutelam, accolasque Musas vellicauit, vt vota soluant pri-  
 ori anno nuncupata nouaque fuscipiant. Nec mora,

GEORGIVS CHRISTOPHORVS PUTNER nostras vernaculis  
 CLEMENTISSIMI patriae PATRIS nominalia indicendi oc-  
 casionem captabit ex nominibus veteris Germaniae aliquot he-  
 rorum, inde absterfus maculam literarum ignorantiae, quam  
 ista Cornelii literarum secreta perperam interpretantes mai-  
 ribus adsperserunt.

PHILIPPVS LVDEVICVS DONAVER Casendorfenſis togatus  
 istius vestigiis infistens populorum rectoribus non caeca sorte  
 contingere nomina adstruet.

FRIDE-

Tit. III. p. 41. Fabricius in Origin. Saxon. Lib. VII. p. 785. Spangenbergius in Chron. Mansfeld. Cap. XXXVIII. Pekensteinius in Theatr. Saxon. Part. III. p. 136. Brötufius in Chron. Merseb. Lib. II. Cap. III. Dilichius in Chron. Hasf. p. 13. Dresferus in Dedicat. Part. II. Millenar. VI. Hagog. Histor. Part. III. pr. Thurneiserus de Aquis Mineral. Lib. VII. Cap. XXXVII. Zeillerus in Topogr. Saxon. Inferior. p. 111. et 115. Weinrichius de Prim. Tract. Henneberg. Pag. et Incol. p. 15. Bacherius in Belgio Romano Lib. V. Cap. I. Beierus in Geograph. Ienens. Cap. XXVIII. p. 463. Vnzerus de Sale, Olearius in Halygr. Cap. III. Art. I. Hondorfus de Salinis, Hofmannus de Salin. Hallens. Cap. V. Kirchmaierus de Bello Proehioque Salinis Cattoſ inter et Hermunduros fuscepto olim §. V. seqq. Sagittarius de Antiq. Regn. Thuring. Lib. I. Cap. III. p. 60. seq. et de Sulca Lanchburg. §. III. apud Iungium de Iur.

Salin. p. 185. Mullerus de Hermunduris, Arnoldi de Hermunduris §. VI. et VII. Mollerus de iis, quae ante Freibergam conditam iis in oris gesta sunt, Penf. I. Cellarius in Notit. Orb. Antiq. Lib. II. §. XX. Junkerſus in Introd. in Geogr. Med. Aeu. Part. II. Cap. I. p. 99. et Cap. II. Sect. I. p. 136. Spenerus in Notit. German. Ant. Lib. II. Cap. II. §. XI. nota (v) p. 77. et Lib. V. Cap. VI. §. III. not. (x) p. 124. Wideburgius de Pagis Vet. Mifn. §. I. nota (b) p. 117. Weidlerus de Natal. Sol. Leg. Salic. §. XIII. Schumacherus de Antiq. Urb. Grimaee Statu §. V. Rudolphi in Goth. Diplom. Part. V. Lib. I. Cap. XVI. §. I. et H. Gundlingius de Antiq. Hal. §. III. Brechenmacherus in Notit. Sueu. Antiq. §. XIII. in Wegelini Rer. Sueuic. Vol. I. p. 80. Lucae in S. R. I. Princip. Part. III. Cap. I. p. 957. Perill. Dreihauptius de Pago Neletici et Nudzici Part. Spec. Sect. II. Cap. II. §. I. p. 666.



FRIDERICVS CHRISTOPHORVS RENTSCH vorſa patria eius rei documenta petet ex nominibus SERENISSIMI noſtri PRINCIPIS, cuius nutu atque gratia Pater Generoſus Vir Ioannes Georgius Conſiliarii prouincialis Camerae inſignis Ludouicopoli Thuringorum duodecim abhinc annis in Curianam prouinciam migravit, in qua prudentiſſime gerit curam pecuniae publicae in Principis uſus conquirendae. Adduxit inde in athenaeum noſtrum haud infelicis ingenii filium natu maximum poſtridie nonas Februarias anni poſt Chriſtum natum MDCCCLVIII. qui iam poſtliminio redeat aliquando ad Plisſenſes Muſas deducendus. Iam cum ſchola et auditorium eſt res innoxia, eum prius, quam in foro veriſque litibus teratur, produci iuſſit Parens iſtius Peritiſſimus pro roſtris ſcholaeſticis ter, quo ſecus ac olim, ubi uſum facere artificem habebant perſuaſum, poſteris nihil infrequentius. Anno enim huius ſaeculi quarto et ſexageſimo celebraturus ſollennia natalicia OPTIMI PRINCIPIS laudibus virtutibusque materiem campumque praefterni ſecundis a. d. VI. Cal. Apriles communi S. R. I. Nouemuirorum Sereniſſimorum ſuffragio electione bono omine facta Romanorum Regis iam Imperatoris IOSEPHI ſecundi Pii Felicis monſtrauit proſa indigena, qua quatuor menſibus poſt ſpem meliorum temporum ex magno, quem hic annus aduulerat, agrorum prouentu concepit. Maroniano carmine vota publica nuncupauit ſuperiori anno die CHRISTIANI nomine, quod fulget in NVTRITORE noſtro CLEMENTISSIMO, conſpicuo,

IOANNES PAVLLVS MATTHAEVVS PVRRVKER ſi quis umquam ſtimuletur ex reuerentia Germanorum priſcorum erga principes ſuos, quam eorum ore exponet, ſuum PRINCIPEM ad modum reuerenter colere, quippe cuius ſingularis indulgentia fouit eum in pauperum contubernio, quod a ſpontanea beneficentia vnice dependet, fouebitque in ſua Fridericiana, qua rerum in primis diuinarum noticia ſolidiori imbuatur. Plane enim deficiente ſumtibus, qui in honeſtas atque liberales artes impendendi, Patre cetera Probo Ioanne Chriſtophoro Leucopolis Conſule Impigerrimo neque tamen in filium blando cooptabatur naturae dotibus valens a. d. IIII. Calendas Maias anno huius





huius seculi quinquagesimo octauo. Cum Rentschio suo ex vna in alteram classem progressus et iam cum eodem primum acer stetit in oratorum loco Germanice euincens, PRINCIPi NVTRITORI natalem agenti fausta quaeque acclamare esse EIVS alumni. Nec minus ostendit Latine in eodem natali superioris anni religionem omnium validissime obstringere.

IOANNES GEORGIVS GODOFREDVS KIESLINGIVS re bene gesta vel vt frontem reuelans diuinarum rerum scientiae causa prospicit academiam Salanam, quo ego ipse ante vnum et triginta annos eius Parentem V. Pl. R. Adamum Ioannem inter primitias muneris mei scholastici ablegabam. Eius vero filium huncce vnicum in eandem meam disciplinam primo loco, quem post ea plures secuti sunt, recipere atque instruere eo iucundius fuit, quo maiorem operam mihi dedit. Flagrat cupiditate grates debitas agendi, quem cum Patre Zeberna Saxonum Stebenam Barutinam transire iussit CLEMENTISSIMVS noster DOMINVS. Quinquennii, quo Curianae Palladi litauit, maximam partem sedit in gremio, quo Camenis nullum gratius, Viri Summe Reuerendi atque Excellentissimi Praefulis hic sacrorum Dignissimi, quo praecipuo poetarum Maecenata adfidue domi formatus non inuita Minerua cecinit publice et iam semel filuestrem Maronis vernacula imitando sacrorum nostrorum instauratoris memoriam recolens anno MDCCCLXIII. iterum vota pro incolunitate diuturna PARENTIS patriae INDVLGENTISSIMI in EIVS natali praeteriti anni faciens ore Romuli nepotum, quale patrio meditatur patronis et fautoribus de meliori se se commendaturus.

Hos sequetur, qui hac tenus ludi signum dedit, D. CHRISTIANI PRINCIPIS terras Barutinas difficillima tempestate prudentissime regentis accessum ad societatem Francofurti ad Moenum pactam flagrante cum maxime bello tricenario insigni documento probaturus.





Yb 4473

1078

ULB Halle

3

006 302 904



20











B.I.G.

Farbkarte #13

CVRIAM  
REGNITIANAM  
NON. NVLLO. IVRE  
**HERMVNDVRORVM**  
COGNOMINANDAM  
DISSERIT. XXXI

VT  
SERENISSIMI. PRINCIPIS. AC. DOMINI  
DOMINI  
**FRIDERICI. CHRISTIANI**  
MARGGRAFII. BRANDENBV RGI. PRVSSIAE. DVCIS  
RELIQVA  
PATRIS. PATRIAE. CLEMENTISSIMI  
**NOMINALIA**

A. D. V. IDVS. MARTIAS. A. R. S. CIOIDCCCLXVII

H. L. Q. C

DEV M. SVBPLICES. ROGANTES. OBEANT  
CVRIENSES

ROGATVM. IT  
CVRIANI. RECTOR

PAVLLVS. DANIEL. LONGOLIVS



CVRIAE. REGNITIANAE  
LITERIS. IOANNIS. ANDREAE. HETSCHELII

2. 1/2 XXXI XX